

C. 151.

8

PROLVSIO
DE
DIFFICVLTATIBVS
NOVI TESTAMENTI
RECTE INTERPRETANDI

ORATIVNCVLIS
IN
SCHOLA THOMANA
PRID. KAL. MAI. A. C. CIO IOCC XXXXVIII
HABENDIS
PRAEMISSA
A
RECTORE
IO. AVGVSTO ERNESTI

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA



СВЯТОГО ПАТРИАРХА
ПЕДАЛАГИЧЕСКОГО
СВЯТОГО ПАТРИАРХА
ПЕДАЛАГИЧЕСКОГО
СВЯТОГО ПАТРИАРХА
ПЕДАЛАГИЧЕСКОГО
СВЯТОГО ПАТРИАРХА
ПЕДАЛАГИЧЕСКОГО



In popularibus Civitatis literariae erroribus hanc etiam ponendam arbitror opinionem, late fusam illam, in primis que dominantem, quae librorum sacrorum, quorum Corpus Nouum Testamentum vocamus, intelligentiam interpretationemque perfacilem, saltem haud paullo faciliorem, quam ceterorum graecorum scriptorum, singit. Vnde enim, nisi ab huius opinionis temeritate, proficisci putamus vulgares voces eorum, qui vel suam infiditiam Graecarum literarum sic defendant, ut satis se habere dicant, si Nouum Testamentum suum intelligent, vel alienam sic excusant: tamen Nouum Testamentum interpretari poterit!

Ea autem opinio vnde nata sit, facilis est coniectura. Satis constat, esse hoc vbique in institutis scholarum, vt pueri Graecae linguae discendae initium faciant a libris sacris. Ea consuetudo, ab optimo, et salutari in primis ad religionem, consilio maiorum profecta, sine ullo, ad linguae Graecae cognitionem, librorumque sacrorum intellectum, incommmodo, usurparetur, si modo idoneis legibus regeretur, locisque se contineret iis, in quibus summa doctrinae diuiniae capita plausim traduntur, et in narrationibus facilibus, parabolisque. Nunc fere sic fieri videmus, vt ad omnes libros promiscue tirones admittantur, neque dilectus locorum, qui debebat, habeatur. Interpretatio autem ipsa fit, verbum de verbo latine conuertendo: vnde existit latinitas, quae et ipsa non magis, quam verba Graeca, intelligitur. Ea porro nihil difficultatis habet, neque alio indiget subfido, quam puerilis Lexici, vnde singularum verborum significatus petantur, aut versionis latinae, vernaculae, ad verbum factae. Huic autem rationi adsueta per multos annos, et quasi innutriti homines, paullatim incipiunt

IV

piunt credere, se etiam intelligere, quae tam pueriliter interpretari possint: praeferunt, cum intelligant, etiam alios, quos autores videantur sequi vel debere, vel posse, eodem modo interpretari, talesque interpretationes non modo ferre, sed etiam pro bonis accipere, ac probare, nihil melius requirentes. Enimvero, qui ita instituti, ita docti sunt, quomodo possunt difficultem Novi Testamenti interpretationem credere, aut, ad eam multis literis opus esse, suspicari?

Atque ego hunc, cum plurimis aliis erroribus, vel condonandum insitae ingenii humani imbecillitat, vel, ad summum, contemtu risuque tacito transmittendum putarem, nisi ab eo plurima ad bonas literas, in primisque sacras, quae optimae sunt, incommoda redundarent: quod omni modo cauere debent, qui bonarum literarum professionem, et quasi turelam, sustinent. Etenim satis constat, maximam partem eorum, qui animos ad Theologorum disciplinam adiungant, hac maxime de causa, aut parum, aut nihil studii aetemporis tribuere percipiendis Graecis, omninoque humanioribus literis, quod earum fibi valde exigua scientia opus esse, cum ad uniuersam Theologiam, tum ad libros sacros intelligendos, credunt; valde in hoc discrepantes a Lutheri, divini Viri, iudicio, qui Theologiam veram et summam nihil aliud esse, quam Grammaticam, hoc est, Graecarum Ebraicarumque literarum scientiam, putabat, per quam ille maxime puritatem religioni fatebatur se restituisse, aduersariosque fregisse, summis, post eum, Theologis idem sentientibus, suisque discipulis identidem, cum Glaffio, in Philologiae sacrae laudatissimo opere, ingerentibus: quanto eris melior Grammaticus, tanto melior Theologus! Ex eo autem quanta pernicies et calamitas ad rem Christianam venerit dudum, et ventura sit porro, res et vobis satis declarant, et alii, magni homines, dixerunt. Quare animum induximus, hoc tempore demonstrare, quam difficilis sit eorum, quos dixi, librorum interpretatio, non quae cunque, aut sufficientis concessionibus ad populum habendis, sed legitima, et digna eo, qui se Theologum sacrarumque literarum doctorem profiteri velit: si forte acuerre animos adolescentium ad maius literarum earum studium possimus, quarum opibus succinctus esse debet, qui rite versari in eo negotio cupiat.

Oritur autem difficultas huius interpretationis partim ab ipsis libris, partim ab interpretibus. Ac prior quidem illa difficultatis causa non tam insita sacris libris, aut nata ex ipsis est, quam a tempore, et

extrin-

extrinsecus, accessit. Etenim, cum in iis res Christi, et Apostolorum, omnisque felicitatis aeternae consequendae ratio generi humano tradenda esset, Spiritus diuinus ita scriptoribus eorum suggestit omnia, ut etiam a plebeis indoctisque hominibus intelligi possent, in primis, cum hos videret facilius ac proximi accepturos salutarem doctrinam, quam nobiles atque eruditos. 1. Cor. 1. Itaque, et in rebus, et in verbis, summa, et apta plebi, adhibita est perspicuitas, nisi interdum ingenio scribentium concedendum aliquid videretur; unde Paullina illa, quae Petrus vocat, δυσνόητα orta sunt. Atque haec mihi videtur esse verissima, et una forte, causa, quare hoc Ebraeo - graecum genus dicendi, per omnes aequo liberos, usurpatum videamus. Nam, quod quidam puritatem Graecae linguae in iis seruatam contendunt, ea profecta est, ut Hemeserhusius, Vir summus, qui haud dubie scit, quid graece dictum, se cuius sit, recte iudicat, (ad Lucian. T. I. p. 300.) perquam ridicula sententia hominum, Graeca vocabula quedam ex Lexicis tenentium, indolis autem Graecae linguae ignarissimorum.

Scilicet, illis temporibus Iudei homines, cum primis ii, qui in patria viuerent, vtebantur vulgo lingua Ebraeo - Syriaca, inque Synagogis legebantur Ebraei Mosis et Prophetarum libri, non interpretatio Graeca, ut quidem historiae veteris imperiti existimant, dudum castigati a Salmatio, in Commentario de Lingua Hellenistica, & Scaligero, aliquot Animaduersionum Eusebianarum locis: Graecam autem linguam, ut ipsos Graecos, in summo odio habebant. Paullum quidem, cum audirent Iudei (Act. XXII, 1. 2.) et Palestini illi, et ceteri ex Graecis Asiae ciuitatibus (Act. XXI, 27.) Ebraice verba facturum, tranquilliores facti sunt, quam essent ante, cum eum Graece dicturum existimarent. Crimen autem ei vel maxime intendebatur hoc ab illis ipsis, ex Graeca Asia, Iudeis, quod Graecos in templum induxisset, (ibid. 28.) natum illud inde, quod eum cum Graecis hominibus vidissent, putarentque Graecorum studiosum. Iosephus porro, cum se Graecarum literarum studio, perceptis Grammaticae praeceptis, deditisset, essetque ingenii studiisque magnitudine consecutus, ut quam proxime, id quod nemo, qui de his rebus iudicare posset, negabit, ad Atticorum veterum rationem accessisse videretur: tamen veram et elegantem pronunciandi rationem neglexit, moris Iudaici causa: quod minime probarentur Iudeis ii, qui peregrinas literas disserentes studiose,

VI

et elegantiae dicendi studerent (Ant. Iud. XX, n.). Itaque, si qui Graece differerent, necessitatis causa discebant, quod sibi inter Graecos viendum esset, et sine grammaticis praeceptis, solo aliquo vnu cum hominibus, et illis ipsis quidem vel plebeis, corrupteque, ut solent, loquentibus, vel faltem dialecto Macedonica vtentibus, quae cum imperio Macedonico omnem Asiam perusaferat. Ergo etiam Apostoli, qui Graece sciebant, quod non de omnibus tradit antiquitas, non ad Grammaticorum exquisitam, multo minus Atticorum elegantem rationem loquebantur. Etenim omnes plebeii indoctique homines erant, praeter vnum Paullum, sed hunc quoque Pharisaorum, non Graecorum disciplinis, institutum. Nam, quod ille quaedam e Graecis poetis habet, id non magis argumento est, poetas illos ab eo lectos fuisse, quam Virgilium, Horatiumque legisse, atque percepsisse, dixeris, eos, qui sciant illa: *tabor improbus omnia vincit: Optat ephippia bos, et similes, peruulgatos inter omnes, versiculos: neque impedit, quo minus Chrysostomus cum adeo Graece ignorasse diceret,* (ad Tit. II. homil. 4.) quod tamen arbitror, vel ex ipsis Lucae Actis, refelli. (XXI, 25.) Certe, qui tam esset Pharisaicae disciplinae deditus, omnique modo aemularetur eius instituta, cuperetque conspicuum facere hoc studium suum, eum, non credibile est, disciplinarum et literarum Graecarum studiosum fuisse, quas illi, auctore Iosepho, auersarentur. Quae cum ita sint, non profecto potuerunt diuini hi Viri, de rebus praeferenti ad religionem Iudaicam Christianamque pertinentibus, eleganter et pure scribere, cum lingua Graeca vterentur: sed necessario res Ebraicis verbis cogitatas, totidem graecis, ad verbum, expresserunt.

Atque etiam si habuissent facultatem, de aliis vitae humanae rebus pure eleganterque scribendi, e Graecorum scriptorum lectione, et diurna exercitatione comparatam: tamen non propterea statim de rebus ad religionem Christianam pertinentibus similiter scribere potuissent. Constat enim satis inter peritos artis, magni ingenii, plurimae exercitationis, difficilisque laboris esse, primum elegantiam orationis inferre alicui disciplinae et nouis rebus.

*Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latinis versibus esse,
Multa novis verbis praesertim cum sit agendum,
Propter egestatem linguae, et rerum nouitatem &c.*

Lucre-

Lucretius ait I, 137. Qui primi de rebus philosophicis aut sunt latine scribere, quam male sunt a Cicerone accepti? (Acad. I. 2.) Solum Ciceronis ingenium hoc consecutum est, vt Graecorum philosophiam latinis literis illustraret, eleganterque placita philosophorum latina oratione exprimeret. Iosephus quidem, homo alioqui modestus, minime que arrogans, tamen confidenter confirmat (XX, 11.) neminem Iudeorum posse ita accurate et eleganter, vt ipse fecerit, explicare res Iudaicas, ex Ebraicis libris hautas, Graeca oratione, cuius ipse studiofissimus fuerit. Neque vero obscurum est, quantum ad se gloriae creditur peruentum Lucretius et Virgilius, quod elegantiam latini carminis, ille ad Philosophiam Epicuri, hic ad res rusticas primus transtulissent, illis ipsis, quibus dixi, de causis.

Avia Pieridum, Lucretii verba sunt I, 925. peragro loca, nullius ante

Trita solo: iuuat integros accedere fontes

Atque haurire: iuuatque nouos decerpere flores,

Insignemque meo capiti petere inde coronam.

Virgilius autem sic in ea re gloriat, Georg. III, 8.

- - Tentanda via est, qua me quoque possim

Tollere humo, viatorque virum volitare per ora etc.

Hodie quoque saepissime hoc videmus doctis alioqui hominibus accidere, vt, cum de rebus iis, in quibus oratione latina, ad normam veterum, exprimendis aliquandiu se exercuerunt, satis probabiliter latine scribant, ad disciplinae suae, veluti, Theologiae, aut Philosophiae, capita delata statim semibarbari existant; propterea, quod non, qui in uno genere, in quo multa exempla prostant, in quo se aliquandiu exercuit, recte scribit, idem in aliis efficere potest. Quomodo igitur potuisse hoc ab Apostolis, qui se ipsis ἀγαπάτες, illiteratos, vocant, vel postulari, vel exspectari, vt repente de rebus nouis, lingua sibi ne quidem vernacula, ita scriberent, quasi in media Attica nati fuissent, et per omnem aetatem se ad hoc exercuissent. Atque eius rei documentum satis insigne in Luca habemus, quem ceteris librorum sacrorum auctoribus plus graece didicisse, omnes existimant. Etenim primi quatuor Euangeli versus, quae est praefatio libri, de instituto suo, ita scripti sunt, vt nihil Polybii, aut Diodori, aliasue talis scriptoris Graeci, quamquam non optimi, aut Attici, at boni tamen, distinctioni cedant. Sed sectione quinta, vbi primum de re ipsa, quam expoten-

ponen-

VIII

ponendam sibi sumserat, dicere incipit, statim ita totus Ebraeus est, veluti, ex Ebraico libro, de verbo conuersa narratio esset. Quamquam non negauerim, me proniorem esse in hanc sententiam, vt, a Luca quidem, id non propterea factum putem, quod non possit aliter, sed quod idoneis de causis aliter nollet: de quibus iam exponendum videtur.

Ex ea, qua dixi, praefatiuncula Lucae, aliisque nonnullis locis, satis appetet, in eo fuisse facultatem de rebus vitae communis, pure saltem, vt ferebant illa tempora, scribendi. Nihilominus ille, etiam in talibus ipsis rebus, virtut formulis loquendi, minime Graecis, sed Ebraicis. Cum aliquem, verbi causa, inducit *loquentem* aliquid, *videntem, agentem*, addit fere illa, ἀνοίξας τὸ σόμα, ἄρεσ τὸς διφθαλυμάς, ἀνεξάρτητος etc. Hae sunt antiquissimae simplicitatis in loquendo redundantiae, quae in Ebraica lingua remanerunt, quod eloquentiae et literarum studia inter Ebraeos nulla essent: Graeci, cum multis aliis similibus veteris simplicitatis reliquis, deterserunt. Nullo autem modo dubitari potest, quin Lucas hic, ad Graecam quidem consuetudinem tertiis ac melius, scribere potuerit, si modo voluisset. Vnde necessario sequitur, vt de industria maluerit Ebraeorum, quam Graecorum rationem ac consuetudinem, sequi. Eius autem rei consilium oppido sapiens ac salubre, credo, fuisse.

Scilicet, quo tempore Christiana doctrina proferebatur, Iudei per omnem Asiam, magnamque Europae, qua Romanis parebat, partem, libere sacra sua exercebant, permultis etiam Romanae ciuitatis iure donatis, vt Iosephus A. I. XIV, 10. praclare docet. Qua in re, fas est, admirari sapientiam et prouidentiam diuinam, quae auaritiam Romanorum tam manifeste ad commoda religionis Christianae, mox proferenda, perque terrrum orbem diuulganda, conuertit. Nam hac re aditus patet factus erat Apostolis in omnes vrbes illustres et locupletiores, quas sibi Iudei, lucri cupidi, sedes fortunarum suarum delegerant, inque ipsam vrbum Romanam, in qua, iam Caesaris Diuato-ris tempore, magna multitudo Iudeorum habitabat, trans Tiberim, et in proseuchis, libere ac nullo impediente, conuentus, religionis, patrio ritu, sabbatis exercendae causa, agebat. Philo Leg. ad Cai. p. m. 1014. ad q. I. vid. in ed. Britannica Mangaeus. Acta quidem Pauli fatis docent, eum in omnibus Graecis vribus adiisse primum Iudeos, in eorumque proseuchis, per sabbata, doctrinam Christianam tradere

tradere coepisse, in quas Iudei, facrorum causa, conuenirent. Et ibi quidem non est dubitandum, ex iis, quae supra dixi, quin Paullus Ebraice verba fecerit. Sed cum, vti Romae, ita et in aliis vrbibus Graecis, multi sacra Iudaica sequerentur, quin non essent gentis Iudaeae, multique item ex his doctrinam Christianam essent amplexi, Paulus, ceterique Apostoli, epistolas suas Graece scripsérunt, vt omnes eas intelligere, sine interprete, possent: eademque haud dubie de causa etiam historicos libros graece placuit scribi. Sed, vt, in linguae genere deligendo, Graecis in primis consulebatur, ita etiam, in ipso charactere et forma orationis, rationem Iudeorum in primis haberi conueniebat. Itaque si viri diuini vel maxime potuissent vti oratione eiusmodi, quae Graecorum confuetudini elegantiaeque plane consentiret, tamen planissimum est ex iis, quae antea dixi, eos de industria id vitatuos suis, ne offenderent Iudeos, verbaque impedimento rebus ipsis essent: quod nullo modo sapientis, nedum Apostoli erat, committere. Accedebat ratio alio maior, ex eo, quod, si tali scribendi genere vterentur, quali Thucydides, aut Plato, Aristotelesue, intelligi ab iis, ad quos, aut quibus scriberent, non possent. Neque id cuiquam debet esse obscurum, aut dubium. Nam si quis intelligit eos, qui de rebus vulgaribus, et in vsu communis vitae positis, populariter loquuntur, non statim idem intelligit eleganter de disciplinis literarum differentes. Atheniensis illa anicula, que Theophrastum intelligebat de oleribus secum loquentem, profecto non cepisset, in Lyceo, de natura Deorum, aut summo bono, subtiliter disputationem: neque plebem Romanam, arbitror, intellexisse Ciceronis Academicę, aut Topica, quia Agrariam et Catilinarias orationes intelligebat. Neque id, putandum est, rerum magis, quam verborum causa, accidere. Quid enim? Nonne videmus, homines, etiam eruditos, ea, quae de arte ac disciplina, sibi satis cognita, latinius panlo et elegantius scripta sunt, parum intelligere vulgo, et obscura existimare, cum absurdos et semiabarbaros, de iisdem rebus, scriptores facile adsequantur. Est enim falsissimum, quod quidam existimant, qui res intelligat, eum verba quoque intelligere: verissimumque contra illud Platonis in Georgia, qui verba teneat, eundem res quoque percebras habere. Itaque etiam existimo, vulgus Iudaicum, quamquam in Graecis vrbibus vitam ageret, tamen Philonem et Iosephum, elegantissimos scriptores,

X

propter illam ipsam orationis elegantiam, nequaquam intellexisse: quando ea etiam in Iosepho multis, non indoctis hominibus, veluti Schotano, obfuit.

Quae cum ita sint, efficitur, vt non modo excusandi sint diuini viri, minimeque reprehendendi, qui aut non potuerunt elegantiam orationis Graecae adhibere, praesertim cum non sua gloriae causa, aut sua sponte, ad scribendum acceperint, quod qui faciunt, ab iis demum postulari potest elegantia scribendi; aut, cum possent fortasse, noluerunt: quod malling rudi oratione, cum perspicuitate et vtilitate legentium, quam eleganti, cum laude sua, vti. Immo vero sapientissime illij fecisse iudicandi sunt, siue iis sua prudentia, et vtilitatis publicae, omni alia potior, cura, siue, quod proprius fidem est, altior et coelestis vis hoc consilium subiecit. Etenim hac ratione consecuti sunt hoc, vt libri sui ab omnibus, quorum tum maxime causa scriberentur, facilissime intelligi possent, quippe adiutis Ebraicae rationi de rebus diuinis differendi, formulisque loquendi, Ebraicae linguae propriis. Est ergo certissimum id, quod ab initio posui, libros facros, in se, praeterquam in paucis, esse maxime perspicuos, iisque, quibus editi sunt, temporibus, ab omnibus, etiam plebeis, indoctisque, facile, ac sine interpretis alicuius ingenio et doctrina, intelligi potuisse. Ex quo fit, vt difficultas interpretandi, de qua dicere instituimus, aliunde orta sit; de quo deinceps erit dicendum.

Hic non dissimulabo, sed prae me feram ingenu, ex quo tempore coepерim discernere posse sonos verborum a rebus, et sensum cogitationemque verbi a sensu et cogitatione rei, multo magis autem, ex quo coepерim aliquid in interpretando videre, in dies mihi difficiorem visam esse legitimam et iustam interpretationem Noui Testamenti, multoque difficiliorem atque impeditiorem, quam Homeri, Thucydidis, Polybii, aliorumque Graecorum scriptorum. Neque in eo me falli arbitror. Nam nisi ita se res haberet, quomodo factum esset, vt in nullum Graecum, Latinumque, vel difficultissimum, scriptorem tam paucos probabiles, tam multos contra, tamque magnos Commentarios haberemus, de quibus, vt de Cornelio a Lapide, Menochio, aliisque, dixit ad Iosephum IV, 6, 2 Bernardus, doctissimus Britannus, ingenium et aetas Theologastrorum frustra consumatur. Quis est scriptor, eius interpres in tam multis, tam grauibus locis, tam constanter,

ac per-

ac pertinaciter dissentiant, ut in horum librorum interpretatione a multis seculis factum videmus, etiam ab iis, qui alias in summa doctrine Christianae planissime consentiunt? Id quomodo fieri possit, nisi multae magnaenque difficultates in iis rite explicandis obiicerentur? Atque in aliis scriptoribus ea difficultas exoritur fere, vel ab inopia bonorum librorum, vel ipsorum scriptorum vitio, qui cogitata, propter inscitiam negligentiamue, non satis perspicue exprefserunt, aut obscuritate denique rerum ipsarum: quorum nullum esse in his diuinis libris, et ab aliis saepe demonstratum scimus, et a nobis antea ex parte ostensum est. In his ergo diuinis libris extrinsecus tota, partim a tempore accessit, partim, et multo maxime, ab ingenii humani vel ignavia, vel leuitate, et peruersitate.

Quicunque libri aut non versantur in rebus constantibus, perpetuis, ac necessariis, aut multa habent adspersa, ex eo genere, quod natura sua labitur mutaturque cum tempore, in eos omnes hanc vim tempus et vestitus haber, ut iis obscuritatem quandam difficultatemque intelligendi obfundat: iis contra, qui necessariam stabilemque materiam tractant, eandem semper perpetuamque perspicuitatem obtinentibus. Et ex illo quidem genere sunt omnes hi, qui agunt de rebus vitae communis et popularibus, quoad certis gentibus proprias sunt, nullisque, nisi consuetudinis arbitriae, legibus continentur, quas ingenii humani inconstantia perpernas esse non finit: huius generis sunt ii, qui in rebus intelligibiliibus, vniuersisque, occupantur, quae sunt necessariae et immutabiles. Itaque Euclidi nihil tot secula, neque demere, claritatis, neque addere obscuritatis, potuerunt: oratoribus contra, poetis, historicisque, ut quique sunt antiquiores, ita plus difficultatis in intelligendo ab ipso tempore accessit. Cum ergo libri sacri, de quibus agimus, sint e posteriori hoc genere, quoad aut historici argumenti sunt, aut adspersa habent multa ex illorum, quibus scripti sunt, temporum condicione, moribus, institutisque: non potuerunt non plurimum difficultatis paullatim contrahere. Atque ea est in his libris maior, quam in aliis multis: propterea, quod, quae talia iis insunt, e variis generibus mixta sunt. Ad Demosthenem v.g. Liuum, Tacitum, vnius gentis mores et instituta nosse; sufficit: ad hos intelligendos Ebraici, Graeci, Romani ritus ac moris scientia requiritur: unde, manifestum est, maiorem intelligendi difficultatem nasci. Nam ea res

XII

facit, ut eorum interpreti idoneo eadem inesse debeat, quae Cœfau-
bonus ab eo desiderabat, qui in Iosepho recte versari veller, literarum
Ebraicarum, Graecarum, et Latinarum, non mediocris scientia. Quae
cum, omni tempore, rarissime in eodem inuenta sit, non est mirum,
si nec Iosephus idoneum adhuc interpretrem naclus est, nec libri Noui
Testamenti multos bonos interpres habuerunt, multaque omni tem-
pore in eo genere scripta sunt, quae illarum literarum satis peritis ridi-
cula viderentur.

Sed longe maiorem difficultatem tempus attulit ipsi orationi, qua
diuini viri sunt vsi. Nam cum ea tum, cum ipsis viuerent, esset, vt i
diximus, maxime perspicua omnibus, facta est ad intelligendum diffi-
cillis, primum, paullo post, iis, qui Ebraicam linguam, eiusque indolem
ignorarent, deinde omnibus, cum Ebraica lingua mortua esset, vt loquuntur, hoc est, postquam in vernaculis esse desit. Neque solum
vrgetur hac difficultate communiter cum omnibus mortuarum linguarum
libris, sed etiam aliqua praecipua, eaque haud scio, an maxima.
Nam aliae tales linguae, quae vsu vitae communis frequentari
desierunt, vt Latina et Graeca, tamen habent permagnam, in cogitatibus
exprimendis, similitudinem cum ceteris linguis humaniorum populo-
rum vernaculis: Ebraica autem ab iis, vt a Graeca, et Latina, longis-
simae distat indole atque ingenio suo. Quae res magnam difficultatem
assert, propterea, quod hoc insitum prope est omnibus, vt alias
linguas, siue legant aliquid, siue scribant, ad suam exigant, ex ea
metiantur, interpretentur, et non, nisi longo vsu et exercitatione, con-
sequi possint, vt a vernaculo sermone, dum alium interpretantur, aut
vsurpan, animum auocent.

Iam, quam longa et ardua est via ea, per quam vnam iter ad per-
cipiendum orationis illius Ebraeo-Graecae ingenium pater? Ac pri-
mum, quoad Ebraeorum sermonem imitatur Noui Testamenti oratio,
fatentur omnes, qui in his rebus aliquid vident, ad eam intelligendam
plurimum proficere, qui Ebraicorum librorum interpretationem Grae-
cam cognoscet, h. e. qui eam diligenter cum Ebraico exemplari com-
paret, atque inde eam intelligere primum discat, tum demum ex ea
colligat, quas notiones verbis quibusque, quam sententiam formis
dicendi, in Noui Testamenti libris, subiictere debeat. Nam etsi neque
ignoro, neque nego, ex ea subinde etiam lucem accedere contexo

Ebraico,



Ebraico, tamen prope plus ea ex Ebraico, quam Ebraicum ex ipso lucis capit. Res sic se habet. Interpretes illi, quicunque fuerint, duplum verbi sunt in verbis Ebraicis græce vertendis. Interdum enim, cum possent, ut opinor, vim solam ipsorum verborum Graecis verbis idoneis expresserunt, accommodate ad Graecæ linguae indolem et usum, qui tum obtinebat: multo autem saepius non tam sententiam declararunt, quam Ebraica verbo tenus expresserunt, toto charactere et forma linguae Ebraicæ, constructionibusque seruatim, interdum verbis Ebraicis ipsis. Illius generis haec sunt: **רְחִיבָה** est unicus. Græca versio Gen. XXII, 2. interpretatur ἀγαπητός, pro μονογενής, ut Aquila, Symmachus, et Iosephus interpretati sunt; idque ex ratione Graecæ linguae exquisita. v. Suidas in h. v. et ibi Kusterus: vnde credo explicari posse idem verbum ap. Matth. III, 17. Marc. I, II. etc. **תְּהִנָּה** Num. XXV, 4. quod Chaldaei, aliquique Græci et Latini interpretes de suspensione explicant, Græci verterunt παραδειγμάτισον ἀντεῖς, non probante Causaubono adu. Baron. Exercitat. XVI. n. 76. Enim uero nihil elegantius isto verbo puto, quod indicat, Deum voluisse, ut in loco conspicuo, et in omnium conspectu, poena ad contumeliam insigni, de more ac ritu populi, afficerentur, qui se inquinassent infando modo. Nam τὸ παραδειγματίζειν quamcumque conspicuum contumeliam, qua alicuius turpitudo, exempli causa, manifesta sit, indicat; vnde iterum loca Noui foederis lucem capiunt. Contra in eodem loco additur κατέβαντι τῷ ἡλίῳ, quod est, in conspicuo loco, in omnium conspectu, per Ebraismum: quod superuacuum facit verbum illud παραδειγματίζειν. Ios. VII, 21. **אֶדְרָה שְׁנָעֵר** exquisite vertitur, et, meo iudicio, melius, quam a ceteris interpretibus, ψιλὴ ποιηση, intellectu vestis, tapetis, ut in Ἀτταλοῦ. Nam his verbis ratio et indoles peristromatis Babylonici exprimitur, quod est tonsum, (ψιλὸν) adeoque molle, tenerum, quales ψιλα περσικα apud Athenaeum L. V. p. 197. idemque ποιηση, variegatum intextis figuris. vid. II. Vossius ad Cantillum p. 197. I. Samuel. c. 9. v. 2. Saul dicitur בְּחֹר quod Græci verterunt ευμεγέθης, solum sensum fecuti, cum בְּחֹר sit electus ad verbum: quamquam etiam de iuuenibus dicitur. Haec quidem e priori genere. E posteriori haec pauca ponemus. Deuter. XXVI, 13. est, ἐγεῖς ἔραντι κνέλες τῷ θεῷ σε etc. Id nemo intelliget, qui nesciat Ebraica, quae ibi sunt, quid significant in illa re et contextu,

XIII

nempe ἄντικος τῷ τεμενίσματος, ut verit recte Iosephus Ant. IV, 8, 22. Iudic. XVI, 19. et aliis locis est ταπειώσαι de infitarum virium detractione, quod nemo e Graeco intelligit: ut nec c. XX. vbi de stupro per vim illato dicitur. Porro i. Sam. VIII, 3 Graeci verbum Ebraicum ΥΥΨ quod ibi πέρδος, vel πλεονεξίαν, significat, interpretantur συντέλειαν, quam significationem verbum illud ipsum quoque habet, sed non hoc loco. Διαιστόνη saepe iidem ponunt, vt Gen. XIX, 19. XX, 13. pro *beneficio*, *benignitate*: quod vnicce ex Ebraici vocabuli Ἅγιον vsu intelligas. Huc pertinent formae dicendi ἐπλέξασθαι ἐν τῷ, *amare aliquem*, ἀποστέλλειν ἐν χειρὶ ἀγγέλῳ, innumeraque similes. Iam quis non videt, vt illa prioris generis intelligentias, linguae Graecae scientia opus esse, vt haec, Ebraici codicis afflida et diligente cum Graecis comparatione. Quae res quanti laboris doctrinaeque sint, quis non videt?

Sed ab ipsa etiam Graeca lingua, eiusque in libris N. T. interpretandis vsu, noua, nec parua, difficultas nascitur. Nam, vt non negandum est, magna adiumenta ad eos rite interpretandos peti e profanis scriptoribus posse: ita contra fatendum et illud, magna in ea re cautione, magnoque delectu opus esse, quem patuci adhibere, propter difficultatem, potuerunt. Ego quidem mihi videor obseruasse, permultos ex iis, qui e Graecis scriptoribus conati sunt illustrare libros diuinorum hominum, grauitate in eo peccasse, plusque impedimenti, quam adiumenti ad interpretationem eorum attulisse; vt mihi prope difficilis videatur, linguae Graecae scientia non abuti, quam recte, et loco, vti. De abuso glossariorum veterum in ea re alibi dixi, quamque difficile sit, in eorum vsu modum et rationem seruare. Quam multi poetis, quam multi philosophis abusi sunt. Graece doctissimos saepe viros in hoc genere lapsos reperimus. Quid futurum putemus iis, qui leviter tantum hoc genere literarum imbuti, tamen volunt libris sacris lucem inde accendere, vbi forte aliquod Schediasma Academicum, dicas causa, conscribendum est. Nam vt quisque in aliquo genere scriptorum legendo versatus est, ita voluit ad illustrandum N. T. conferre, nihil penitus habens, an e simili genere sint, quos illustrare, et vnde, velit. Tempus me desiceret, si, quae hic in promptu sunt, commemorare vellem.

Omnino,

Omnino, si quis velit Graecis scriptoribus, in illustranda N. T. oratione, vti, quoad ea similis est communi graecorum sermoni, debet ille, meo iudicio, diligenter hoc feruare, primo, vt in singulis verbis diligenter videat, ne e Graecis profanis interpretari et illustrare instituat, in quibus Ebraicam potius consuetudinem consulere debebat; in quo incredibile dictu est, quam sit omni tempore peccatum: vnde oriuntur alienissimae a mente Spiritus S. interpretationes. Deinde tenendum erit, vt vtatur tantum scriptoribus, qui sint ex genere populari, et quidem eodem, e quo sunt libri ipsi N. T. Aetates porro scriptorum erunt considerandae; quae in Graecis non minus diuersas formas et characteres stili, quam in Latinis, habent: neque aliis aeratis scriptores erunt facile adhibendi, quam a qua oratio diuinorum scriptorum potuit duci. Dudum est, cum docti quidam Viri obseruarunt, Polybium in primis multa habere, cum oratione sacrorum scriptorum consentitia. Eius rei quae causa sit, mea sententia, breuiter aperiam. Nam illud quidem, supra quam dici potest, ineptum est, quod aliquis dixit, Spiritum Sanctum admirabiliter elestatum fuisse dictione Polybiana.

Cum Macedones Graeciam suae ditionis fecissent, coepit paullatim deflorescere illud exquisitum et elegantissimum Atticorum dicendi genus, quod in Thucydide, Platone, Xenophonte, Demosthene, aliisque eius generis, atque aetatis, reperitur; inualuitque illud genus, quam vulgo dialectum communem vocant, possis Macedonicam fortasse non male appellare. Neque enim dubitandum, quin Atticae elegantiae offecerit, et hoc dicendi genus inuixerit Macedonica dominatio: cum et Romae illa perfecta dicendi forma cum libertate expirauerit. Est profecto illud ipsum, quo Philippum Regem in Epistolis, apud Demosthenem, vti videmus. Hinc ergo noui verborum significatus nati, nouae dicendi formulae, vt facile obseruant, qui, Polybium, aliosque eius generis scriptores, attente legunt, quae non reperiuntur in Atticis illis antiquis: donec elegantioris gustus homines, discrimine animaduerso, instituerunt veteres illos Atticos in scribendo imitari: quos possis cum praeclaris illis Viris comparare, qui, post renatas, ante aliquot secula, literas, ad Ciceronis, et aequalium illi scriptorum, imitationem se contulerunt. Illud autem, de quo ante dixi, dicendi genus, vna cum imperio Macedonico, transiit mare, omnemque Asiam et Aegyptum obtinuit. Ergo non est mirandum, si et Ebraici Codicis inter-

XVI

interpretes, et Novi Testamenti scriptores, qui in iis terris viuerent, neque se ad imitationem Atticorum dedissent, huius potissimum generis scriptoribus similes sunt, et multa cum iis habent communia. Atque haec quidem de difficultate interpretandi N. T. quoad e scribendi genere oritur, dicta sunt.

Restant aliae difficultates, multae, et magnae, quibuscum homine pugnandum est interpretari illorum librorum, natae a peruersitate ingenii humani, peccatisque Interpretorum ipsorum. Atque hic non dicam de praeiudicatis et falsis quibusdam opinionibus, quae a multis inuectae sunt, in ipso modo, ac genere interpretandi, cum vniuersum Codicem sacrum, tum N. T. libros, indicatis illis et castigatis egregie a Venerando, et exquisitae accurataeque, etiam in hoc genere, doctrinae Viro, Sal. Deylingio, in Quinta Obseruationum Parte, ante paucos dies edita; a quibus haud facile est, sibi cauere. Satis habebo, de uno genere dicere, quod e verborum ipsorum infictia, ab antiquissimis inde temporibus, ortum est. Scilicet, cum religio Christiana ad Graecos esset propagata, Doctores Ecclesiae, qui in explicandis diuinis versabantur, plerique, id quod satis constat, ignorabant linguam Ebraicam, solaque Graeca in interpretando vtebantur. Vnde fieri non potuit, quin verba, et formulae dicendi multas, quarum explicatio ex Ebraica lingua petenda erat, e Graeca interpretarentur, atque sic a vero sensu discederent. Hinc ortae sunt multae interpretationes librorum facrorum, et inuectae in Ecclesiam, pro verisque habitae, et si non pugnantes cum summa doctrinae Christianae, quamquam tales quoque, at falsae, minimeque accuratae. Sed id malum vehementer augum est a Latinis, in quibus permulti fuere, qui ne Graeca quidem intelligerent, sed vnicce e versionibus, quae tum erant, ad verbum latine factis, sapient. Quod si qui Graeca quoque consulerent, tamen, quia non habebant idoneam, et iustam Graeciae linguae scientiam, praefertim eius, quia diuini Viri vsi sunt, plerumque nihil faciebant, nisi, vt consulerent Glossaria Graeco-latina, vt hodie quoque a plerisque fieri videmus, inde primam quamque vocem latinam arriperent, et ex huius vi ea, quae sibi nota esset, etymologia adeo, scriptores diuinos interpretarentur, deque rebus Theologicis disputarent et philosopharentur, parum penitus habentes, linguas sibi non ita respondere, vt verba, quae sibi, ex indicio glossariorum, respondeant, eandem statim significationem ubique habeant.

habeant. Qui autem Graeca nequidem consulere poterant, hi verba interpretationis latinae tenebant: haec ex sua aetatis, philosophiae etiam, vsu interpretabantur, super iis, ex eorumque adeo etymologiis, philosophabantur, praeclareque se functos boni interpretis officio, existimabant. Hinc non modo falsae interpretationes ortae, sed etiam controversiae graues, quibus supersederi potuissent, si a Graecis potius et Ebraicis, quam Latinis verbis interpretationem librorum diuinorum petuissent. Et harum tam interpretationum multae receptae sunt et probatae, adeoque inleuerunt, etiam ad nostram aetatem, vt per difficile sit, ab iis sibi cauere, multique hodie, etiam docti grecce, eas teneant atque defendant. Quod fit nulla alia de causa, nisi, quod omnium eorum, quae a pueritia didicimus, pro veris et rectis agnouimus, diuine tenuimus, haud facile animaduertitur vitium. Hoc genus, vt mihi videtur, latissime patet, cum hoc maxime luendandum idoneo librorum sacrorum interpreti: haud faciliter profecto victoria. Eius adeo pauca, sed perspicua exempla, hoc loco, ponamus, plura allaturus alio tempore, si Deo videbitur, in Disputatione, quam opponemus confutudini eorum interpretum, qui philosophantur potius, quam interpretantur, et e natura rerum malunt, quam e verbis, e Dialecticis, quam Grammaticis praeceptis interpretari: qua ratione nihil magis lubricum et fallax esse, nihil magis, in planis et facilimis locis, tenebras offundere interpretantibus, demonstrabo.

Ipsum quidem tempus admonet, vt a verbo παρακλήτε exemplum petam: quo nomine Seruator coelestis Spiritum Sanctum appellat Io. XIV, 16, 26. XV, 26. XVI, 7. In hoc verbum cum incidissent Graeci, quidam ei fecerunt idem, quod themati παρακλήσιν. Id quia interdum consolandi sensu occurrit, apud Graecos Veteris Test. interpretes, atque N. T. scriptores, ex vsu fortasse illorum temporum vulgaris, non nullis locis ei hanc significationem obtruserunt, vbi contextus non patitur. Interpretati igitur sunt *consolatorem*, quod etiam latinorum plerique fecerunt: quod id optime convenit Spiritui Sancto, qui, sane est, vt Pater, θεὸς πάτων παρακλήσεως. Cor. 1, 4. Alii, qui de *aduocatis* in foro dici hoc verbum in primis, sciebant, hanc potius interpretationem amplexi sunt, vt Spiritus S. esset deprecator noster, et defensor apud Deum: praeferimus, cum etiam Christus haud dubie hoc sensu παρακλήτος noster a Iohanne vocetur, ipseque dicat, se ἀλλον παρακλήτον suis daturum. Ea interpretatio tanto magis probata est a multis, probaturque etiam hodie ab iis, qui plus aliis videre volunt, quod eo ma-

XVIII

gis consuerudini purioris Graecae linguae consentanea est vid. Gataker in Aduersariis Postumis c. 35. Suicerus in Thesauro Eccles. et alii. Enimvero, si ex his duabus interpretationibus altera diligenda necessario sit, malim certe illam, quam hanc sequi, et probare cum Gotfr. Oleario τῷ μαρτυρῷ in Diff. de Adoratione Christi per Patrem p. 56. Lutheri iudicium, qui et ipse illam priorem secutus est: praeferunt cum ea melius conueniat orationi, qua Christus discipulos, tristes e denunciatione discessus sui et futurae absentiae visibilis, consolari instituit. Quicquid sit, haec interpretationes ita obtinent, ut non facile reperias, quin alterutram tenendam putet. Enimvero, non dubito, quin, si aut olim non attulissent has verbi notiones ad id interpretandum, sed eius notionem e linguae Ebraicae, quae Christi temporibus fuit, vñs, et contextu verborum Christi, eruendam putassent, aut non hodie, occupatis alterutra opinione, inde a pueritia, animis, ad ea loca cognoscenda venirent homines docti, diuersam ab vtraque significationem reperirent. Ego quidem certissimum esse arbitror, πνεύματον, vbi de Spiritu S. dicatur, nihil aliud significare, quam Doctorem, magistrum, divinaeque veritatis ad Apostolos interpretem. Non dubito, quin Christus ipse hoc verbo, forma Ebraica, vñs sit, idque inde in Graecum transtulerit D. Iohannes, qui id ex ipsius ore audierit. Etenim satis constat, hoc verbum vulgari Ebraeorum, illis temporibus, vñs, cum multis aliis Graecis, frequentatum esse, ut dicentur בְּרָכַלִּיתָא vel בְּרָכַלִּיטָה. Neque id verbum nouum aut obscurum vñsum discipulis sit necesse est, cum nihil de eo interrogarint Christum, ut, in aliis fecisse tum, videamus. Respondet autem illa vox Ebraicae מִלְחָמָה, in cuius interpretatione ea vñ sunt Chaldaei Job, XVI, 20. XXXIII, 23. מִלְחָמָה porro Graecis V. T. interpretibus est ἐμηνευτής, interpres alienae orationis, sententiae Gen. XLII, 23. πρεσβευτής, legatus, orator voluntatis aliquius perferenda, benevolentiaeque declarandae etc. 2. Chron. XXXII, 31. quamquam nec ignoro, etiam pro deprecatore et aduocato dici. Sed tamen maxime illud verbum ad facultatem dicendi ac docendi referatur, eaque est primaria significatio, vnde et abstractum, ut Dialectici loquuntur, מִלְחָמָה, de perspicua oratione, et ipsa eloquentia, dicitur, ut abstractum illius Graeco-Ebraici. Quocunque autem loco a Iohanne ponitur, adduntur eae verbi interpretationes, ea attributa πνεύματα et actiones, ut appareat, tortum ad docendi rationem referri. Nam alias locis, interpretationis causa, additur πνεῦμα τὸς αὐγῆς, spiritus

ritus veracissimus, seu veritatis omnis auctor, et promus, ipsissima veritas, omnium maxime idoneus doctor, cui vnicet credere et fas sit, et sine omni periculo, liceat: aliis autem omnibus nihil aliud ei tribuitur, nisi partes optimi doctoris, nulla solatii, aut deprecationis, aut defensionis mentione facta: vt mirum esset, quomodo istae interpretationes increbescere, et firmiter permanere potuerint, nisi causa eius rei ex ante dictis pateret: praesertim, cum etiam antiquissimus et doctissimus facile Ecclesiae Latinae doctor sic interpretatus sit Tertullianus, de Velandis Virginibus c. I: Quae est ergo Paracleti administratio, nisi haec, quod disciplina dirigitur, quod scripturae revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur etc. Atque ego non ignoro, Tertullianum aliis locis interpretari aduocatum: verum, vt opinor, ibi aduocati genus illud intelligit, quod consilia dat, monet, suggestit, vt ille apud Ciceronem Verr. I, 44. qui scribit, qui monet, qui proximus est, quales sunt omnes Ciceroniani aduocati; item illi Terentiani, non causa actores, defensores, aut deprecatores; nisi forte inconstans alicubi lapsus est, vt aliis quoque priscas Ecclesiae doctoribus, nominatim Augustino in hoc ipso verbo, accidit. Saris de hoc, ad alterum exemplum veniamus.

In verbis graecis, Ebraico sensu, usurpati, est in primis verbum ἐπιλέξασθαι, et ἐπιλογή. Id cum latini Interpretes e puerili Vocabulario vertissent eligere, electio: Theologi Latinae Ecclesiae, Augustino signifero, Viro diserto et ingenioso, sed Ebraeae Graecaeque linguae imperitissimo, et si vtriusque studium serio commendet S. literarum Interpretibus, qd Doct. Christ. L. II. §. n. seq. cooperunt e latinae linguae confuetudine intelligere, et deinde, super illa electione latina, philosophari mirifice, disputare acriter, controversias denique, cum magna ecclesiae pernicie, agitare, quae ne ad hanc quidem diem potuerunt componi. Ego mihi planissime habeo persuasum, illas, de electione et praedefinitione, controversias in Ecclesia Graeca nunquam exituras, nec opus in Theologiae elementis futurum fuisse peculiari Capite, de Electione et Praedefinitione, sed simpliciter credituros fuisse omnes, quod nostra Ecclesia tenet ac defendit, quippe et rationi, et summae religionis Christianae, consentiens, vt, quos Deus praeuiderit ab aeterno, mansuros in fide ad finem usque viatae; eosdem, ille decreuerit iam tum, felicitate aeterna donare, hoc, inquam, simpliciter, arbitror, credituros omnes fuisse, si ab illa, super latino electionis verbo, philosophia abstinuissent latini Theologi, intellexissentque, in Ebraeo-Graeco sermone ἐπιλέξασθαι, quod fere respondet Ebraeo בְּרִית.

XX

dici etiam pro *amare*, *probare*, vt latinorum *diligere*, et ἐπλευτὲς de *ca-*
ris, *probatis*, etiam sine electione, vt latinorum *eximius*, *egregius*, *dilectus*,
 nulla electionis notione adiuncta. Atque ego non is sum, qui neget, hoc
 verbum etiam in libris sacrīs occurrere de electione propriæ dicta: sed, il-
 lud me demonstrare posse, scio, in iis locis, quibus Caluini schola maxi-
 me confidit, e quibus sua de praedestinatione placita arcessit, sive extor-
 quet potius, nonnullis etiam, quibus nostri vtuntur, electionis notionem,
 per legitimae interpretationis praecepta, locum non habere. Alia huius
 generis exempla affterri possent, sed modus est adhibendus. Atque vel ex
 his, quanta inde difficultas exoriatur hodie interpretandorum librorum
 sacrorum, intelligi potest.

Restat genus vnum difficultatis, de quo dicere in animo habebam,
 quod inest in vsu praeceptorum Grammaticorum. Etenim, vt in omni
 arte praecepta facilius discuntur, quam ad vsum transferantur:
 sic in interpretando quoque non adeo quidem difficile est, in vniuersum,
 quid sequi debeas, videre, ceterum, cum ad rem veneris, suo quodque
 praeceptum loco in promptu habere, ad idque dicta exigere, et interpreta-
 tionem dirigere, id vero, si non ingenii, at diligentiae et exercitationis est
 permagnae ac diuturnae: in quo illud, didici vnu plurimo, et obseruatione,
 in primis impedimento esse, quod homines, in primis adolescentes, natura
 valde proclives sunt in eam partem, vt malint rebus, vtcunque cognitis,
 quam e verbis, defensu dictorum iudicare, et ad analogiam potius discipli-
 nae (quamquam id non negligendum) dicta exigere, quam ad praecepta
 grammaticae artis referre. Sed video, me iam modum huius scriptiorum ex-
 celsissime, et ei rei, vt antea indicauit, alia disputatio a nobis destinata est.

Ceterum ista scribere insitumus, vt praefaremur Orationculis, a qui-
 busdam disciplinae nostræ alumnis, in schola Thomana, habendis, *de pae-*
flantia et utilitate graecæ linguae, in qua illi discenda non leuem, quidam
 etiam eximiā, operam studiumque posuerunt. Dicent autem hoc ordine

IO. CONRADVS FRIDERICI Delitanus

GOTFRIDVS ALOESIVS Illeburgensis

CHRISTOPHORVS NAVMANNVS Pegauiensis

IO. GOTFRIDVS BAVERVS Lipsiensis

IO. NATHANAEL BAMLERVS Kirchberg. Variscus

Ad hos audiendos vt frequentes veniant, qui bonis ingeniis literis-
 que fauent, vehementer rogamus.



FC 1285

Vol 18

ULB Halle
004 966 066

3



Sb.

nr.





PROLVSIO
DE
DIFFICVLTATIBVS
NOVI TESTAMENTI
RECTE INTERPRETANDI

ORATIVNCVLIS
IN
SCHOLA THOMANA
PRID. KAL. MAI. A. C. CIQ ICCC XXXXVIII
HABENDIS
PRAEMISSA
A
RECTORE
IO. AVGVSTO ERNESTI

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

